



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XIX. De Jure condendi Statuta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

nonnulli Archiepiscopi & metropolitanani, quibus nulli subsunt Episcopi. Illi enim & soli ad patriarcham semel quotannis convenire compelluntur &c.

LXXVIII. Quod de pluribus patriarchis constituit Justinianus, ut apud eos convenire deberent, qui ordinati ab eis essent, id de uno Constantinopolitano explicat Balsamon. Cumque deinceps negativè legat verba ἐκείνους τῆς πατρὸς αὐτῶν μὴ χειροτονημένους, μὴ ἔχοντας ἢ δικαίον αἰδῆς Ἐπισκόπους χειροτονῶν, illos qui ab ipsis ordinati sunt, & qui non habent jus alios Episcopos ordinandi, uti communiter etiam legitur in vulgaribus novel- larum editionibus, illa restringit Balsamon ad obscuros illos Archiepiscopos Derci, Messanæ, Parii, Apri & alios nonnullos, qui sine dubio Justiniani sæculo nulli fuerunt. Supra autem laudavi συχασμὸν Petri de Marca, qui in Novellâ adductâ expungit negativam particulam μὴ, quod absurdus planè ex eâ & omninò nullus haberi possit sensus. Inde ergò secundum ipsius interpretationem Metropolitanis his verbis descripti illic sunt: *Hi qui à Patriarchis ordinati sunt, & habent jus alios ordinandi.* Et illos vult Justinianus apud Patriarchas suos quotannis convenire.

LXXIX. Cæterum, quæ ita per consensum decreta fuerunt in Conciliis, ex se, nisi quid aliud extrinsecus accesserit, non habent obligandivim aliam, nisi talem, qualis ex qualicunque conventionem oritur. Legis autem naturam induunt, & leges reipsâ fiunt, sicubi confirmantur ab eo, qui τὸ κύριον tenet in Rep. Et hæc confirmatio per legem publicam facit, ut vi ἀναγκαστικῆς cogi possint refractarii ad paritionem, cum Ecclesia quæ talis, ut aliàs plenius dicam, potestate tali externâ destituatur. Ut hic longius excurram, necesse non est, cum in historiâ Ecclesiasticâ nota sint exempla Constantini, Theodosii, Marciani & aliorum Imperatorum, qui νομοθεσίαν addiderunt decretis Conciliorum, definitis simul pœnis, si quis secus quid dixerit vel fecerit. Et omninò interest Reip. ut tum religio facta tecta conservetur, tum etiam disciplina Ecclesiastica, sed quam utramque difficulter sustinebit Ecclesia, nisi accesserit brachium seculare.

CAP. XIX.

De Jure condendi statuta.

I.

EX his quæ antecedente capite diximus sequitur, Episcopum cum Synodo suâ etiam statuta condendi potestatem habere. Universitates enim omnes & Collegia omnia licita & approbata possunt condere statuta

statuta circa ea, quæ pertinent ad administrationem rerum suarum, & super illis quæ pertinent ad artem & professionem suam. Idque apud nostros in confesso est, propter l. 1. ff. *Quod cuiusque univ. nom. l. 9. ff. de just. & jur. l. ult. ff. de colleg. & corp. l. fin. 6. de jurisdic. omn. jud.* quanquam de hoc inter se disceptent adhuc Jcti, utrum, quod Baldus vult, *tr. de Statut. vocab. Collegium n. 2.* facere statuta sit aliquid jurisdictionis, & ex jurisdictione ortum habeat? an verò, quæ communior est sententia, nulla hinc sit attendenda jurisdictione? dum hoc tantum observetur, ne per statuta istiusmodi derogetur juri communi. Hoc unicum si observetur, nullà opus erit jurisdictione, quum tota obligatio statuti talis ex pactione veniat. *d. l. fin. ff. de colleg.*

II. Quandoquidem igitur Episcopus cum presbyteris suis corpus aliud & collegium constituit, præsertim quando in Synodo congregati fuerint, nullo modo illis denegari poterit potestas talis, quam corporibus in universum omnibus competere dixi. Inde enim Clemens Romanus, si quidem is autor est, *lib. 2. Constit. Apostol. c. 28.* presbyteros dicit esse consiliarios Episcopi & Ecclesiæ coronam, itemque consilium & Senatum Ecclesiæ. Itemque Ignatius *epist. ad Trallian.* presbyteros vocat confessum DEI & conjunctionem Apostolorum Christi. Et porro: *Quid est*, inquit, *presbyterium*, nisi sacer cætus, *ὄσημα ιερῶν*, consiliiarii & confessores Episcopi, *σύμβουλοι ἢ συνεδρευταὶ τῆς Ἐπισκοπῆς*. Quò imprimis facit, quod ab eruditis hæcenus ex antiquissimâ praxi Ecclesiasticâ probatum fuit, ab Episcopis communi presbyterorum consilio & potestate gubernatas fuisse Ecclesias. Et ad quid verò convocarentur ad Synodum presbyteri, nisi ut cum illis deliberationes instituantur, cujuslibet Ecclesiæ status examine, parochianorum & ipsorum parochorum sive presbyterorum mores & conversandi rationes expendantur, lites, si quæ exortæ fuerint, sopiantur, totumque id, quod Ecclesiis salutare & proficuum deprehensum fuerit, omni studio promoveatur. Et in hunc finem congregari solent Synodi cujusque dioceseos Episcopalis, cujus maximam partem faciunt presbyteri.

III. Ad Cyprianum hic provoco, cujus in epistolis multa ad hoc regimen facientia observanda occurrunt. In *epistolâ 4.* presbyteris & diaconis suis hæc scribit exul: *Peto vos pro fide & religione vestrà, fungamini illic, & vestris partibus & meis, ut nihil vel ad disciplinam vel ad diligentiam desit.* Et *epist. 5.* Tum deinde *ut ea quæ circa Ecclesiæ gubernaculum utilitas communis exposcit, tractare simul & plurimorum consilio examinata limare possimus.* Et porro: *A primordio episcopatus mei statueram nihil sine consilio vestro & sine consensu plebis mee privatâ sententiâ gerere; sed cum per DEI gratiam venero, tunc de iis quæ vel gesta sunt, vel gerenda, sicut mutuis honor*

exposcit, in commune tractabimus. Eodem modo in epist. 13. agens de iis, qui ad pacem festinabant, cum res non levis momenti videretur, in communi Synodo & presbyterorum cœtu tractandam esse putat. Legi literas vestras, inquit, fratres charissimi, quibus scripsistis salubre consilium vestrum non deesse fratribus nostris, ut temerariam festinatione depositam religiosam patientiam DEO præbeant: ut cum in unum per ejus misericordiam venerimus, de omnibus speciebus secundum Ecclesiasticam disciplinam tractare possimus. Et porro: Hoc enim & verecundia & disciplina & vite ipsi omnium nostrum convenit, ut præpositi cum clero convenientes, præsentem & stantem plebem, quibus & ipsis pro fide & timore suo honor habendus est, disponere omnia consilii communis religione possimus. Paria sunt, quæ leguntur epist. 17. Quæ res, cum omnium nostrum consilium & sententiam expectet, præjudicare ego, & solus mihi rem communem vindicare non audeo &c.

IV. Sed ne porro eam de re dubitare quisquam possit, in exemplum producendum nobis est Concilium Autifiodorense, quod circa annum Christi DLXXVIII. ab Aunachario Episcopo Autifiodorensi cum diececesios suæ Abbatibus & presbyteris celebratum est. Decreta in eo facta fuerunt quadraginta quinque, non ab Episcopo tantum, sed à totâ Synodo communi omnium consensu. Sic enim se habet canon finalis: *Si quis hanc definitionem, quam ex autoritate Canonica communi consensu & convenientiâ conscripsimus ac instituimus &c.* Et subscripserunt post Episcopum Abbates septem, presbyteri triginta quatuor, & diaconi tres. Definitiones vocant, quas canones dicere potuissent, modestiori, ut videtur, vocabulo. Sic enim etiam apud Jctos usitatum est, ut definitionis nomine regulam appellent, uti apparet ex *l. 32. ff. de usur. l. 4. §. 1. ff. de hered. inst. l. 10. ff. de aur. & arg. leg. l. 22. §. 1. ff. quand. dies leg. vel fideic. l. 1. ff. de reg. Caton. & alibi passim. Quam propterea in jure civili periculosam esse dicunt, cum parum absit, ut non subverti queat. l. 202. ff. de R. J.*

V. Rectè autem ajunt Definidores in Concilio isto, se definitiones suas communi consensu & convenientiâ conscripsisse. Hoc enim est, quod jam supra dixi, totam obligationem decreto tali debitam esse ex conventionem & consensu, ut ex aliâ quavis pactione. Et hæc potestas omnibus aliis collegiis competit, describente ita Cajo Jcto in *l. 4. ff. de Colleg. & corp.* His autem scilicet sodalibus potestatem facit lex, pactionem, quam velint, sibi ferre, dum ne quid ex publicâ lege corrumpant. Et hoc ultimum observandum etiam est Episcopo in Synodo suâ, ne quid statuatur plenioribus conciliis adversum. Eoque pertinet, quod particularia & localia Concilia sæpè faciunt mentionem Conciliorum generaliorum, quorum proinde canones, ne quid secus statuisse videantur, magnâ cum reverentiâ ali-

aliquando repetere solent. Quod si verò in Synodo aliquâ diversum quid ab illis, quæ obtinuerunt olim, statutum fuerit, tum applicanda est regula Ildori, quam refert Gratianus *c. Domino in f. dist. 50.* Quotiescunque in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius Concilii sententia magis teneatur, cujus antiquior & potior extat autoritas. Aut potius doctrina Augustini *lib. 2. de baptis. c. 3.* Ipsa Concilia, inquit, que per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, que fiunt ex universo Orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedunt.

VI. Consequens hinc est porrò, neminem omninò statutis illis, quæ ab Episcopo in Synodo diœcesanâ facta sunt, obligari, nisi qui ejus diœceseos civis est & membrum. Valet enim hîc quoque JCtorum axioma in *l. fin. ff. de jurisdic.* Extra territorium jus dicenti impune non paritur. Deinde & illud, quod pacta sint stricti juris, & iis, qui non pepigerunt, nec profint, nec noceant, *l. 24. C. de pact.* Dum igitur ex conventionione Synodali illa nascitur obligatio, quæ decretis cujusque diœceseos adhæret, non poterit ea limites istos excedere, quos ipsa posuit conventio. Et generale insuper est axioma, Episcopi potestatem extra diœcesin suam se non extendere. Tàm adstrictè cum se habeat ista, non major aut latior erit potestas Synodi ab Episcopo convocatæ, quippe quæ & ipsâ diœcesin non egreditur. Unde pro spolio haberi solet, si quis Episcopus in alienâ diœcesi jura Episcopalia exercere velit, quamdiu per ordinariam judicis sententiam diœcesanus exautoratus vel extraneus ad hoc vocatus non est, vel denique extremum periculum subditorum alienam operam non exigit, aut verò quamdiu diœcesani saltem tacitus consensus probari nequit. Eaque propter reprehendi solet *ἡ δόξα ἐπισημασμένη* Epiphaniî, quam instigatus à Theophilo Antiocheno contra Johannem Chrysostrum in ejus diœcesi, in urbe Regiâ, in ipsâ sede patriarchali exercuit, dum synodos coëgit, edicta & statuta fabricavit, synaxin celebravit, Diaconos ordinavit, & plura alia sibi vindicavit, nec persuaderi tamen potuit à Johanne, ut hospitium sumeret in ædibus Episcopaliibus ad contestandum consensum fraternum. De quâ re legi potest *Socrates lib. 6. cap. 12. 13. 14.*